



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KAFANCANA*** NOVA IN NIGERIA CONSTITUITUR
DIOECESIS KAFANCANA APPELLANDA Cum ad aeternam dominici gregis salutem provehendam eiusque regimini
facilius et efficacius consulendum Nobis concreditum sit munus, venturae omnium christifidelium prosperitati prospicere
festinamus. Cum huiusmodi petitem sit ut in Nigeria nova constitueretur dioecesis, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E.
Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa, favorabili habito
voto Venerabilis Fratris Caroli Mariae Viganò, Archiepiscopi titulo Ulpianensis et in Nigeria Apostolici Pro-Nuntii,
auditisque eorum quorum interest votis, admotis precibus libenter concedendum esse putaverunt. Nos igitur eiusdem
Congregationis sententiam excipientes ratamque habentes, Apostolica Nostra potestate haec statuimus et decernimus.
Territoria districtuum civilium vulgo Kaura, Jema'a et Jaba ab archidioecesi Iosensi, necnon Kauru, Lere et Zangon Kataf
ab archidioecesi Kadunaënsi distrahimus; ex iisque novam constituimus dioecesim *Kafancanam* appellandam, quam
metropolitanae Ecclesiae Kadunaënsi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium
Evangelizatione subicimus. Iubemus insuper ut Episcopi sedes in urbe vulgo Kafanchan ponatur, in templo Sancto Petro
Claver dicato, quod simul ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus. Cetera vero secundum leges
canonicas temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Carolum Mariam Viganò, quem supra diximus,
legamus. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro
Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Hanc denique Constitutionem Apostolicam ratam esse volumus sive nunc
sive in posterum, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis
Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 12, pp. 1085-1086 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana